

maxime a nobis cognoscitur; nam « propter Deum alia cognoscuntur non sicut propter primum cognitum, sed propter primam cognoscitivae virtutis causam<sup>1</sup> ». 3<sup>o</sup> Oportet, ut ea, inter quae fit comparatio, huiusmodi sint, ut tuscipiant magis et minus; ob quam rationem etsi pater sit causa *esse* hominis in filio, haud consequitur *esse* hominis magis in patre, quam in filio inveniri. 4<sup>o</sup> Illud effatum « verificatur, quando illud, quod convenit alicui propter aliquid aliud, est diversum in utroque ». Quocirca « quamvis Filius habeat a Patre hoc, quod spirat Spiritum Sanctum, nihilominus tamen non est hoc diversum in Patre et Filio, quia eandem virtutem spirativam, quam Pater habet, Filio communicat; et ideo per illam aequaliter Pater, et Filius Spiritum Sanctum spirant. Et si etiam non esset una numero, sed specie tantum, ratio non valeret; sicut patet in omnibus univocis generationibus; non enim pater Sortis plus influit in filium Sortis, quam Sortes<sup>2</sup> ».

## Q

## DISTINCTIONES

I. QUALITAS ESSENTIALIS—ACCIDENTALIS. *Qualitas essentialis* est id, quod determinat ipsam rei essentiam, nempe *differentia specifica*, quae proinde praedicari dicitur in *quale quid*<sup>3</sup>. Hoc sensu *qualitas* latissime sumitur. *Qualitas accidentalis* dupliciter accipitur: 1<sup>o</sup> pro omni accidente, quod subiectum suum aliquo modo afficit; hinc *accidens* praedicari dicitur in *quale*, sive *necessario*, si sit *accidens speciei*, sive *contingenter*, si sit *accidens individui*<sup>4</sup>. Hoc modo *qualitas* paulo strictius usurpatur: 2<sup>o</sup> Pro certo tantum genere accidentium, quorum nempe proprium est *simpliciter*, seu per se substantiam disponere, sive *modificare*, nempe quatenus eo ipso, quod in substantiam novum modum *essendi* inducit, ipsam *qualem* efficit, puta esse

<sup>1</sup> I, q. LXXXVIII, a. 3 ad 2.

<sup>2</sup> In lib. I Sent., Dist. XII, q. I, a. 2 ad 2.

<sup>3</sup> Vid. p. 174-175.

<sup>4</sup> Ibid. Discrimen inter *accidens speciei*, et *individui* explicavimus p. 8.

doctum, aut doctrinae expers. *Qualitas* hoc sensu strictissime accipitur, atque constituit quartum *praedicamentum*, quod complectitur *habitus* et *dispositionem*<sup>1</sup>; *potentiam* et *impotentiam*<sup>2</sup>; *passionem* et *patibilem qualitatem*<sup>3</sup>; *formam* et *figuram*<sup>4</sup>.

II. QUANTITAS CONTINUA—DISCRETA. *Quantitas continua* ea est, cuius partes vinciuntur et cohaerent aliquo termino communi, qui nempe nullius partium, quas necit, proprius est, sed finis est prioris partis, et principium posterioris; e. g., linea et quaevis magnitudo. *Discreta* est ea, cuius partes nullum habent nexum inter se communem, sed singulae a singulis seiunguntur, ut numerus, et quaevis multitudo<sup>5</sup>.

III. QUANTITAS DIMENSIVA—VIRTUALIS. *Quantitas dimensiva* est quantitas proprio sensu accepta, seu quae consistit in divisibilitate partium, ac proinde ad substantias corporeas pertinet, et constituit *praedicamentum* quantitatis<sup>6</sup>. Dicitur autem *dimensiva* ob tres dimensiones longitudinis, latitudinis, et profunditatis quas habet; vel *quantitas molis*, quia corporis propria est. *Quantitas virtualis* est quae metaphorice sumta substantiis spiritualibus accommodatur, atque earum virtutem, seu perfectionem significat, vel quoad naturam, vel quoad durationem, vel quoad vim agendi. Sic Angelus hominem excedens in perfectione dicitur habere maiorem *quantitatem virtutis*: in iis enim, quae non mole sunt magna, hoc dicitur maius esse, quod melius est. Sic etiam aequalitas, quae est proprietatis quantitatis, « intelligitur in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto, in quantum nullus horum aut praecedat ae-

<sup>1</sup> P. 157-158.—<sup>2</sup> Vid. p. 261.

<sup>3</sup> Vid. p. 253-254.—<sup>4</sup> Vid. p. 127.

<sup>5</sup> « Continua porro definiunt, Ea, quorum partes communi aliquo termino copulantur. Nam cum lignum aliquod bicubitum sit, hoc est duos cubitos habeat, unius cubiti finis, et alterius cubiti principium unum est. Cohaerent enim inter se, atque coniuncta sunt, non autem sunt ab invicem divisa. At vero discreta ea sunt, quorum partes non copulantur communi aliquo termino; ut in decem saxis. Nam si quinque et quinque numeres, communem terminum, qui copulet, nullum invenies. Etenim si aliquid dederis, quod inter quinos et quinos medium interponatur, iam fiunt undecim, et non decem »; s. Damasc., *Dialect.*, c. 49.

<sup>6</sup> Vid. p. 265-266.

ternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate <sup>1</sup>». Unde perspicitur, quomodo in *Divinis* sit summa aequalitas. « Quantitas, ad rem inquit s. Bonaventura, dicitur dupliciter, proprie, scilicet quantitas molis, et translative, quantitas virtutis; et quia illa (*aequalitas*) est propria passio quantitatis, aequalitas consequitur utramque quantitatem; ergo ubi est ponere quantitatem virtutis, ibi est ponere aequalitatem, vel inaequalitatem. Haec autem quantitas virtutis ponitur in spiritualibus, et summe reperitur in *Divinis*, quia haec quantitas non repugnat simplicitati, sed consonat; similiter nec aequalitas consequens istam quantitatem <sup>2</sup> ».

IV. QUANTITAS FLUENS—PERMANENS. *Fluens*, quae tamen proprie non est species quantitatis, est illa, cuius partes non existunt simul, sed una succedit alteri; ut tempus et motus; e. g., *quantitas* horae non habet simul suas partes, sed una alteri succedit; proindeque ipsa est *fluens*. *Quantitas permanens* est illa, cuius partes simul existunt, ut linea, superficies, corpus. Ubi observandum est, corpus vel *physice* vel *mathematice*, spectari posse; *physice* quidem, quatenus est quoddam compositum ex materia et forma; *mathematice* quatenus in eo consideratur trina dimensio in longum, latum et profundum; e. g., quantitas corporis humani vocatur a mathematicis *corpus*, quia extenditur in longum, latum et profundum. Porro hoc secundo modo *corpus* pertinet ad praedicamentum *quantitatis*; nam priori modo spectat ad praedicamentum *substantiae* <sup>3</sup>.

V. QUAE TALE—MATERIALITER <sup>4</sup>.

VI. QUIDDITATIVE—ACCIDENTALITER <sup>5</sup>.

VII. QUID NOMINIS—QUID REI <sup>6</sup>.

VIII. QUIES DESIDERII—QUIES MOTUS. « Quies desiderii

<sup>1</sup> S. Fulgent., *De Fide ad Petrum*, c. 1.

<sup>2</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, p. 1, a. 1, q. 1 *resol.*

<sup>3</sup> De utroque corpore s. Basilius ita loquitur: « Philosophi hoc corpus dicunt firmum, quod quasi solidum est, et plenum, quod ita appellatur, ut a mathematico distinguatur. Est autem mathematicum, quod in solis consistit dimensionibus, in latitudine, inquam, profunditate, et longitudine »; *Hexaëm.* Hom. V.

<sup>4</sup> Vid. *Formaliter—Materialiter*, p. 134.

<sup>5</sup> Vid. *Essentialiter—Accidentaliter*, p. 9.

<sup>6</sup> Vid. *Definitio nominis—Definitio rei*, p. 92.

est quando desiderium sistit in aliquo, propter quod omnia facit, et quaerit, et non desiderat aliquid ulterius; et hoc modo voluntas iusti quiescit in via in Deo. Quies autem motus est quando pervenitur ad terminum quaesitum; et ista quies voluntatis erit in patria <sup>1</sup> ».

IX. QUIES PRIVATIVA—POSITIVA. *Quies privativa* est privatio motus, e. g., permanentia lapidis in manu; item vita otiosa; nam « sicut operatio, quamvis improprie, motus dicitur <sup>2</sup>; ita *cessatio* a quacumque operatione quies vocatur <sup>3</sup> ». Unde illud: *otium parit vitae taedium, et est importunum negotium*. *Quies positiva* est permanentia rei in statu naturali; v. g., natatio piscium; est enim actio secundum naturam. Hac ratione canit Poeta: *Deus nobis haec otia fecit*.

X. QUO—QUOD; vel UT QUO—UT QUOD. Dicuntur 1<sup>o</sup> de principio aliquid producente. *Principium quod* est persona, vel totum compositum agens. Hoc sensu dicitur: *Actiones sunt suppositorum* <sup>4</sup>. *Principium quo* est virtus, qua actio producitur. Rursus *principium quo* vel *proximum* est, vel *remotum*. *Proximum* est virtus, ex qua immediate elicitur actio; *Remotum* autem est radix facultatis, a qua immediate elicitur actio. Ex. gr., in actibus intellectus et voluntatis, persona Petri est *principium quod*; natura humana est *principium quo remotum*; intellectus et voluntas *principium quo proximum*. 2<sup>o</sup> Dicuntur de termino alicuius productionis. Scilicet terminus *ut quod* est ipsa tota res, quae producitur. Terminus productionis *ut quo* consistit in aliquo ex principiis, unde res constituitur. E. gr., persona Petri est terminus eius generationis *ut quod*; eius autem natura est terminus *ut quo*. 3<sup>o</sup> Obiectum *ut quod* est illud ipsum, ad quod potentia, vel scientia spectat. Obiectum *ut quo* est propria ratio, propter quam potentia, vel scientia circa aliquid versatur. Vel obiectum *quod* est illud, quod in scientia demonstratur. Obiectum *quo* consistit in mediis, quibus probantur conclusiones in eadem scientia <sup>5</sup>. 4<sup>o</sup> *Ut quod* significat subiectum,

<sup>1</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. I, q. IV, a. 1 ad 5.

<sup>2</sup> Vid. p. 204-205.

<sup>3</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. XV, q. III, a. 2 *sol.*

<sup>4</sup> Vid. p. 34.

<sup>5</sup> Vid. *Obiectum materiale—formale*, p. 240.

cui proprie convenit aliquod attributum, vel quaedam denominatio: *ut quo* indicat rationem, propter quam subiectum est, vel denominatur tale; e. g., hic terminus *albus*, si accipiatur *ut quod*, significat parietem, vel aliud, quod dicitur album; sin autem *ut quo*, denotat ipsam albitudinem. Hoc sensu terminus acceptus *ut quod* dicitur etiam usurpari *in recto*, *ut quo*, *in obliquo*<sup>1</sup>. 5<sup>o</sup> Denique: Species, per quam fit cognitio alicuius rei, est *obiectum*, quo illa cognoscitur; res autem a specie repraesentata est *obiectum quod*. « Species visibilis, ait s. Thomas, non se habet, *ut quod* videtur, sed *ut quo* videtur<sup>2</sup> ». Et alibi: « Species intelligibiles, quibus intellectus possibilis fit in actu, non sunt obiectum intellectus; non enim se habent ad intellectum, sicut *quod* intelligitur, sed sicut *quo* intelligit<sup>3</sup> ». Sane, species non est terminus, in quem cognitio fertur, sed dumtaxat principium, ex quo facultas cognitrix determinatur ad percipiendam rem ab ipsa specie repraesentatam. Quare, etsi anima cognoscat res per species, tamen illas in seipsis cognoscit: « Cognoscere res per earum similitudines in cognoscente existentes, est cognoscere eas in seipsis<sup>4</sup> ». Et B. Albertus M.: « Sensus per hoc, quod species est sensibilium, sensibilia immediate accipit<sup>5</sup> ».

## Q

## EFFATA

I. QUALIS EST ESSENTIA, TALIS EST POTENTIA<sup>6</sup>.

II. QUALIS MODUS ESSENDI, TALIS MODUS OPERANDI<sup>7</sup>.

III. QUALIS UNUSQUISQUE EST, TALIS FINIS VIDETUR EI. Illud enim, quod apprehenditur velut bonum atque conveniens, movet voluntatem; quod patet ex illo: *Omne agens agit propter bonum*<sup>8</sup>. At potest aliquid diverso modo apprehendi

<sup>1</sup> Vid. p. 175.

<sup>2</sup> *Qq. disp.*, q. un. *De Sp. creat.*, a. 9 ad 6.

<sup>3</sup> *In lib. III De An.*, lect. VIII.

<sup>4</sup> I, q. XII, a. 9 c.

<sup>5</sup> *In Eth.*, lib. IV, tract. II, c. 18. Cf. Sanseverino, *Phil. Christ.* etc. *Dynam.*, vol. I, c. II, a. 5, p. 590 sqq., et vol. II, c. III, a. 4, p. 598, Neapol. 1862.

<sup>6</sup> Vid. p. 282.—<sup>7</sup> Vid. p. 213.—<sup>8</sup> Vid. p. 246.

hendi velut bonum et conveniens, prout diversa est conditio eius, cui illud obiicitur: E. g., ei, qui ira concitatur, videtur aliquid bonum, quod huiusmodi non videtur ei, cuius animus huiusmodi commotione non afficitur. Ergo finis, seu id, quod movet voluntatem, talis est, qualis est unusquisque<sup>1</sup>.

IV. QUALITAS EST NOBILIOR QUANTITATE. Tum quia qualitas nobilioribus convenit substantiis, quantitas autem tantum corporeis; tum quia qualitas nobiliorem, quantitas ignobiliorem compositi partem sequitur; nam qualitas ex forma, quantitas ex materia fluit. Non est autem qualitas prior quantitate. Nam licet forma, quam qualitates comitantur, praestantior sit materia, quae quantitates secum defert; tamen quantitas prior qualitate est; siquidem ordine naturae prius oportet subesse materiam, quam forma illi adveniat, nec intellectus capere potest, quod in generatione rerum forma materiei praecedat<sup>2</sup>.

V. QUALITAS FUNDAT SIMILITUDINEM, ET DISSIMILITUDINEM. Scilicet per qualitatem res dicuntur similes, aut dissimiles. E. g., duo equi, si sint eiusdem coloris, dicuntur similes<sup>3</sup>. Illud autem admonere est, a qualitate res *per se* dici similes; *per accidens* dissimiles. Dissimilia enim proprio et stricto sensu accepta dicuntur non tam propter qualitates, quam propter qualitates, quae uni subiecto inest, in altero defectum. Insuper « similitudo et dissimilitudo attenditur non solum secundum eandem, vel diversam qualitatem, sed etiam quantum ad eundem, vel diversum participandi modum<sup>4</sup> », neque solum aliqua *similia* dicuntur « ex eo quod participant unam formam, sicut duo albi albedinem », sed etiam « ex eo quod unum, quod participative habet formam, imitatur illud, quod essentialiter habet; sicut si corpus album diceretur simile albedini separatae, vel corpus mixtum igneitati ipsi igni<sup>5</sup> ». Haec postrema similitudo esse dicitur *secundum analogiam*, atque ratione ipsius dicuntur creaturae Deo quodammodo similes esse<sup>6</sup>.

<sup>1</sup> Vid. s. Thom., 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. 9, a. 2 c.

<sup>2</sup> Vid. p. 143.—<sup>3</sup> Vid. p. 13.

<sup>4</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. LII, a. 3 c. Vid. p. 252.

<sup>5</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. LXVIII, q. I, a. 1 sol.

<sup>6</sup> I, q. IV, a. 3 c. « Nam ipsi scitis, et nemo dubitaverit simile